

tos ante Martianum vixerint annos. Martianus enim sub Didio Juliano imperatore demum floruit, à quo etiam occisus perhibetur, notante ex Politiano *Francisco Connano comm. Jur. civil. l. 3. c. 1.* Quicquid sit, Divorum tamen fratrum negantium hanc quaestionem opinio juris nostri fundamentis magis consentanea videtur. Nec unò à Jctis eam in venio approbatam loco Adstipulatur D. Fratribus *Ulpianus in l. 6. §. fin. de Religios.* Neque perperam aut aliam ob causam *Florentinus in l. 42. π. d. t.* illam inter sepulchrum & monumentum constituit differentiam ab illatione demortui desumptam, quam quod illud religiosum, hoc verò non indigitare voluit. Cum enim illatio mortui tanquam causa religionis efficiens & productiva hic praesupponenda, nihil inconvenientius videri poterit, quàm cenotaphium vel monumentum dicere religiosum. Cessante etenim causa ipsum quoque effectum cessare constat. In cenotaphio autem nullum corpus vel reliquias inferri, partim ex *d. l. 42.* partim ex dictis supra in th. 5. abundè elucescit.

XVIII. Satis patere ex hæcenus arbitror dictis, per illationem cadaveris aut ossium demortui sepulchrum à quolibet constitui posse. Hic non illimitatum penitus & quodlibet, quod infertur, subiectum subintelligere convenit. Exclusos itaque hic velim. *I. Viventes homines.* Etsi enim vivus aliquis in locum quendam inferatur, hic tamen propterea sepulchri nomine venire non potest, cum vivos sepelire impietatis juxta & inclementiæ sit inexcusabilis. Eò etiam commotos fuisse fundamento Numam Pompilium non improbabile est, quod speciali sanciverit lege, quæ inde Regia *in l. 2. de mort. infer.* vocatur, nè mulier prægnans mortua prius humo condatur, quàm partus ipsi excisus sit, secus facientem spem animantis cum gravidâ peremisse videri. Neque enim naturæ penitus contrariatur partum mortuam etiam matre excisum supervivere posse. Egregium in *Valer Maximo l. 2. c. ult. in extern. n. 5.* me aliquando legisse memini exemplum, quò Gorgias in funere matris uterò elapsus inopinatò vagitu suo lectum ferentes consistere coegit, novumque spectaculum patriæ præbuit. Ut itaque omni penitus exempti sint timore sepelientes ejusmodi prægnantem fœminam, nè vivus forte unà cum defuncto humetur, nostrò severè prohibitum Jure nè

D

unquam